

Athenas, totamque Graeciam liberavit, talis honos tributus est, in porticu, quae Poecile vocatur, ut, quum pugna depingeretur Marathonica, in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites, proeliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam maius imperium est ractus, et largitione magistratum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

VII. Post hoc proelium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quae barbaros adiuverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam opibus elatam quum oratione reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique com metu priuavit: deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. Quum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cuius flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regiis datum. Quo factum est, ut et Parii a deditone detererentur, et Miltiades timens,